

alve dividuum factio. » Hebraice enim *משפט* *mispat*, id est iudicium sive ius, significat non jus proprium, sed usurpatum, puta morem et consuetudinem, licet iniquum, ut patet *Num. ix, 14*, et cap. *xxix, 6*, et *Ezod. xxi, 9*, et alibi. Denique nonnullus reges Israel hac regia potestate usos vel potius abusus esse, patet ex magnificentia curruum, equorum et mense Salomonis; unde de tribus ab eo impositis, questus apud Roboam ejus filium populus peius ab eo acceptus est, ideoque fecit schisma, *III Reg. xii*.

Porro verum æquumque jus regis fidelibus imperatori describit Deus per Samuelem inferius cap. *x, 23*, et per Moysen, *Deut. xvii*, ubi sancit quid rex Deo, quid populo, quid sibi ipsi præstare debeat. Vide S. Thomam, Bellarminum, Lipsium, Scribanium et alios qui de principe Christiano scriperunt.

Unde Clemens Alexandrinus: « Deus, ait, petenti regem populo non humanum pollicetur dominum, sed insolentem se daturum minatur tyrannum, libidinis et voluptatibus deditum. » Ita Clemens, pag. 261. Sic et Abulensis, Cajetanus, Serarius, Mendoza, Sallianus et alii. Quin et Philosophi idem censent; unde Xenophon in *Memorabilibus Socratis*, lib. III: « Rex, inquit, eligitur non ut se molliet curet, sed ut per ipsum si qui elegerunt bene beateque agant. » Seneca Philosophus, libro I *De Clementia*, cap. *xviii*, docet « non civium servitium regi traditam, sed tutelam. » Et cap. *xix*, addit: « Republicam non esse principis, sed principem esse Republicæ. » Hinc Homerus regem appellavit a Pastore populorum. » Et Claudianus *ad suum Honorium*:

Te civem potestque genus, tu consule cunctis,
Non tibi: nec tua te movent, sed publica dampna.

Denique Romani non ferentes Tarquinii Superbi insolens regum, reges urbe expulerunt. Audi S. Augustinum, lib. *V de Civitate Dei*, cap. *xii*: « Romani, inquit, regalem dominationem non ferentes, annua imperia binosque Imperatores sibi fecerunt: qui consules appellati sunt a consulendo, non reges, aut domini, a regnando atque dominando. » Et paulo post: « Fastus, inquit, regis non disciplina putata est regentis, vel benevolentia consulentis; sed superbia dominantis. »

13. FILIAS QUOQUE VESTRAS FACIET SIBI UNGUENTARIAS (unguentorum, id est, odorum et pigmentorum confectrices) ET FORACIAS (id est, coquas, ait Chaldaeus, que circa focum versantur. Vatablus, cupidinarias, femine enim præ viris norunt ad delicias coquere) ET PANIFICAS, id est, ut Chaldaeus, *panificas*, que panem delicatum plicant.

Præclare Clemens Alexandrinus, lib. II *Pedagogus*, cap. *viii*: « Oportet, inquit, viros imprimis apud nos unguenta non olere, sed vite probitatem. Spiritus autem feminae Christum, qui est regalis unctio, non unguenta. » Ita ille. Et S. Hieronymus, lib. II *Adversus Jovinianum*: « Odores, in-

quit, et diversa thymiamata et amomum, et muscus et peregrini muris pellicula, quod dissolutis et amatoribus conveniant, nemo, nisi dissolutus negat. » Suffragator D. Ambrosius, lib. *De Hæresibus et Sectis*, cap. *x*: « Unguento, inquit, se unguunt, qui corpori odoris gratiam quaerunt, sed et illa unguenta libidinis illecebras movere consueverunt. » Nervosius S. Chrysostomus, concione I *De Lazaro*: « Te, inquit, non oportet olere unguentum, sed spirare virtutem. Nihil immundius animam, quoties corpus talem habet fragrantiam. Corporis enim ac vestium fragrantia arguit intus latere animum graveolentem atque immundum. Cum enim diabolus aggressus deliciis eviraverit animam, omnique vitiorum genere compleverit, tum in corpore suæ corruptionis lectum oblini unguentis. » Denique Diogenes Cynicus: « Cave, ait, ne capitis odor sit vite fetor. » Porro de foracis et panificis ita disserit Clemens Alexandrinus, lib. III *Pedagogus*, cap. *vii*: « Quin etiam facilem et parabilem cibum, nempe panem effeminatum; quod frumenti est nutritius, exspirantes: ut quod est alimentum necessarium, sit probum voratatis. » Et paucis interjectis: « Nullum, inquit, habet terminum delicata ingluvies. In liba enim et placentas et bellaria provecta est: merendarum et cœne appendix multitudinem inveniens. Et mihi quidem videtur homo qui est hujusmodi, nihil esse aliud, quam bucca et maxilla. »

14. EUNUCHS. — Audi de his S. Basilium, *epist. 87*: « Iguominiosum, inquit, illud, ac modis omnibus perniciosum eunuchorum genus, nec femininum, nec masculinum, insaniens in mulieres, invidiosum, vilis pretii, animo feroci effeminatum, ventri deditum, auri cupidum, sævum, inconstans, illiberale, stabularium, insatiabile, furiosum, et quod amplius dicendum est, cum ipsa statim generatione ferro damnandum. » Et paulo post fictam eorum continentiam, et apertam lasciviam exprimens: « Ibi, inquit, frustra quidem casti manent per ferrum; insaniunt vero absque fructu propter suam turpitudinem. » Hinc illud Claudiani in *Eutropium Eunuchum et Consularem*:

Omnia cesserunt Eunuchæ Consula monstra.

Et:

Tu telas, non tela pati potes.

Et:

Eunuchi quis sceptræ ferat!

19. NOLEIT AUTEM POPULUS AUDIRE VOCEM SAMUE- LIS. — Novum est hic populi peccatum contumaciae; cuius proinde postea poenas luit, ait S. Gregorius: « Magna, inquit, temeritas exstitit, contra Dei voluntatem, regem petere; magna duritia consilii Propheta vinci non posse. » Et paulo post loquens de hac herata regis petitione: « In eo, inquit, mali propositi consummatio est et inconverlibilitas voluntatis. »

21. LOCUTUS EST EA IN AURIBUS DOMINI. — Audi *Gen. ii*.

S. Gregorius: « In eorum auribus loquimur, apud quos magne familiaritatis gratiam habemus: sancti autem viri, quia omnipotenti Deo in magno amore vinculo conjuncti sunt, et in auribus loquuntur: quia divine propitiationis ejus auditum tanto fiducialius exposunt, quanto apud ejus misericordiam impetrandi locum sublimius acceperunt. »

22. AUDI VOCEM EORUM, ET CONSTITUTE SUPER EOS REGEM. — Sed non talem qualem ipsi petunt, qualemque eis depinxerunt, sed qualem ego descripsi *Deuter. ix*, qui scilicet fidelibus subditis politice imperet, non despote: quique non suis, sed Republice commodis studeat. Deus enim iniquam Hebraeorum petitionem regis ita resecat, ut quod in ea æquum est concedat, quod iniquum, neget, id est non concedat, sed fieri permittat, et fore prædicat.

Querit S. Gregorius, lib. *IV*, cap. *i*, cur Deus concedat id quod male petitur? Respondeo, quia petenti irascitur, eumque vult sua petitione, quasi justa congruæ vindicta plectere et castigare. Sic et S. Augustinus in *Psalm. li*: « Rex, ait, non ad permanendum electus est a Domino, sed secundum populi eorum durum et malum datus ad eorum correptionem, non ad utilitatem secundum illam sententiam; quia regnare fecit hominem hypocritam propter perversitatem populi. » *Job. xxxiv, 30*. Idem Augustinus, lib. *V Contra Julianum*, cap. *ix*, vocat Saulem « penam peccantium. » Et S. Cyprianus, *epist. 38 ad Rogatianum*: « Et hoc, inquit, ulciscetur Dominus, excitavit eis Saul regem, qui eos ingruis gravibus affligeret, et per omnes contumelias et poenas, superbum populum calcaret et premeret, ut contemptus sacerdos de superbo populo ultione divina vindicaretur. »

Id duobus exemplis confirmat Anastasius Nicæus, *Quæst. xv in Scriptis*. Prius est Phœacæ impe-

ratoris et tyranni, qui cum innocentes opprimeret, vir quidam plus Deo conquestus: « Cur, inquit, Domine, eum fecisti Imperatorem? » ab eo hoc responsum tulit: « Quis non inveni pejo rem. Alterum monachi cupidum, qui seculare civitatis creatus episcopus, eum hoc honore insolens, ab angelo conceptus audit: « Cur superbis et magnifice tibi places, o infelix? Non es creatus episcopus quod dignus sacerdote sis, sed quod civitas talis tali digna erat episcopo. » Denique audi S. Gregorius: « Petrus rex pro vindicta conceditur; magna etenim vindicta est, que ex distractione procedit interni examinis quando reproba mens sic projicitur, ut quod male deliberat, agere permittatur. Qui ergo in petendo rege Dominum abjecisse convictus sunt, dum id eis permittere tur agere, per quod a se hominum abjicerent, gravior pena non erat, qua hic plecti debissent. »

ET CONSTITUTE SUPER EOS REGEM. — Hinc patet Saulem in regem fuisse electum, et evehum non a Republica nec ab optimatibus, sed immediate a Deo per Samuelem; ac prout potestatem regiam non a Republica, sed a Deo immediate accepisse (perinde ac Pontifex, licet eligatur a Cardinalibus, tamen non ab ipsis nec ab Ecclesia, sed immediate a Christo potestatem pontificum accipit). Quare eum hac potestate Republica nulla ratione privare poterat, sed solus Deus; uti de facto ipse eum ob inobedientiam regno et vita privavit, eique sufficit Davidem. Idem dico de Davide. Hic enim non a Republica, sed a Deo per Samuelem creatus est rex, ab eoque omnem regendi potestatem accepit. Secus est de posteris Davidis. Hi enim non a Deo, sed a Republica creati sunt reges. David enim consentiente Republica ex filiis unum, puta Salomonem, ex Dei voluntate successorem in regno sibi delegit, regemque constituit. Salomoni deinde successit Roboam, quasi primo genitus; huic Abia, huic Asa eodem jure.

CAPUT NONUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Saul, querens asinas, reperit regnum. De his enim consulens Samuelem, ab eo concivio excipitur, poniturque in capite mensæ, qui postero mane Sauli oraculum regni a Deo acceptum ammittit. Hic igitur finiuntur gesta Judicæ (nam Heli et Samuel Patre Judicæ, æque ultimi) et incipiunt gesta Regum; hic enim status Republicæ aristocraticæ mutatur in monarchicam; quare hæc est secunda pars libri, adeoque hic proprie incipiunt libri Regum.

1. Et erat vir de Benjamin nomine Cis, filius Abiel, filii Seror, filii Bechorath, filii Aphia, filii viri Jemini, fortis robore. 2. Et erat ei filius vocabulo Saul, electus et bonus; et non erat vir de filiis Israel melior illo: ab humero et sursum eminebat super omnem populum. 3. Perierant autem asinae Cis patris Saul; et dixit Cis ad Saul filium suum: Tollite tecum unum de pueris, et consurgens vade et quære asinas. Qui cum transisset per mon-

tem Ephraim, 4. et per terram Salisa, et non inuissent, transierunt etiam per terram Salim, et non erant; sed et per terram Jemini, et minime repererunt. 5. Cum autem uenissent in terram Saph, dixit Saul ad puerum qui erat cum eo: Veni et revertamur, ne forte dimiserit pater meus asinas, et sollicitus sit pro nobis. 6. Qui ait ei: Ecce vir Dei est in civitate hac, vir nobilis: omne quod loquitur, sine ambiguitate venit. Nunc eamus illuc, si forte indicet nobis de via nostra propter quam uenimus. 7. Dixitque Saul ad puerum suum: Ecce ibimus; quid feremus ad virum Dei? panis deficit in sitaribus nostris, et sportulam non habemus, ut demus homini Dei, nec quidquam aliud. 8. Rursum puer respondit Sauli, et ait: Ecce inventa est in manu mea quarta pars stateris argenti, demus homini Dei, ut indicet nobis viam nostram. 9. Olim in Israel sic loquebatur unusquisque vadens consulere Deum: Venite et eamus ad Videntem. Qui enim Propheta dicitur hodie, vocabatur olim Videns. 10. Et dixit Saul ad puerum suum: Optimus sermo tuus. Veni, eamus. Et ierunt in civitatem in qua erat vir Dei. 11. Cumque ascenderent clivum civitatis, inuenerunt puellas egredientes ad hauriendam aquam, et dixerunt eis: Num hic est Videns? 12. Quæ respondentes, dixerunt illis: Hic est; ecce ante te, festina nunc: hodie enim venit in civitatem, quia sacrificium est hodie populi in excelso. 13. Ingressientes urbem, statim inuenietis eum antequam ascendat excelsum ad vespendum; neque enim comesturus est populus donec ille veniat; quia ipse benedicit hostiæ, et deinceps comedunt qui vocati sunt. Nunc ergo conscendite, quia hodie reperietis eum. 14. Et ascenderunt in civitatem. Cumque illi ambularent in medio urbis, apparuit Samuel egrediens obviam eis, ut ascenderet in excelsum. 15. Dominus autem revelaverat auriculam Samuelis ante eam diem quam veniret Saul, dicens: 16. Hac ipsa hora quæ nunc est, eras mittam virum ad te de terra Benjamin, et unges eum ducem super populum meum Israel, et salvabit populum meum de manu Philistinorum; quia respexi populum meum, venit enim clamor eorum ad me. 17. Cumque apessisset Samuel Saulem, Dominus dixit ei: Ecce vir quem dixeram tibi, iste dominabitur populo meo. 18. Accessit autem Saul ad Samuelem in medio portæ, et ait: Indica, oro, mihi ubi est domus Videntis. 19. Et respondit Samuel Sauli dicens: Ego sum Videns, ascende ante me in excelsum, ut comedatis mecum hodie, et dimittam te mane; et omnia quæ sunt in corde tuo, indicabo tibi. 20. Et de asinis quas nudius tertius perdidisti, ne sollicitus sis, quia inventæ sunt. Et cuius erunt optima quæque Israel, nonne tibi et omni domui patris tui? 21. Respondens autem Saul, ait: Numquid non filius Jemini ego sum, de minima tribu Israel; et cognatio mea novissima inter omnes familias de tribu Benjamin? quare ergo locutus es mihi sermonem istum? 22. Assumens itaque Samuel Saulem, et puerum ejus, introduxit eos in triclinium, et dedit eis locum in capite eorum qui fuerant invitati; erant enim quasi triginta viri. 23. Dixitque Samuel coco: Da partem quam dedi tibi, et præcepi ut reponeres seorsum apud te. 24. Levavit autem cocus armum, et posuit ante Saul. Dixitque Samuel: Ecce quod remansit, pone ante te, et comede; quia de industria servatum est tibi, quando populum vocavi. Et comedit Saul cum Samuele in die illa. 25. Et descenderunt de excelso in oppidum, et locutus est cum Saule in solario; stravitque Saul in solario, et dormivit. 26. Cumque mane surrexisset, et jam elucesceret, vocavit Samuel Saulem in solario, dicens: Surge, et dimittam te. Et surrexit Saul: egressique sunt ambo, ipse videlicet, et Samuel. 27. Cumque descenderent in extrema parte civitatis, Samuel dixit ad Saul: Dic puero ut antecedat nos, et transeat; tu autem subsiste paulisper, ut indicem tibi verbum Domini.

4. NOMEIS CIS. — Hic fuit pater Saul. Cis hebraice significat *durum*; quod licet initio S. Gregorius in malam partem de duritia cordis Saulis interpretetur, postea tamen in bonam partem accipit. «Pater, inquit, regis, Cis, id est durus, dicitur; quia profecto ii quorum sancti Prædicatorum imitatores sunt, vita et zelo remissi non sunt; duri namque sunt, quia peccatoribus mollia non

loquuntur: duri etiam sunt, quia ut alios bene corrigant, dura quæ illis præcipiunt, in sua conversatione demonstrant.»

VIRI JEMINI. — Id est de tribu Benjamin, ait Vatablus. Benjamin enim per aphoresin decurtatum est Jemini, et Jemini. Simili enim modo ex Benjamin deductum et decurtatum est nomen Ammon, Genes. cap. xix, vers. 38. Ita Chaldaeus, Cajetanus, Mariana, Sallianus. Aut potius quia paulo ante dixit: «Erat vir de Benjamin.» Hic Jemini fuit celebris ex tribu Benjamin, cujus posteri dicti sunt viri Jemini; unde ad hunc Jemini, quasi virum famosum deducitur hic genealogia Saulis, in eoque sistit quasi per illum sat nota et clara. Ita Abulensis, Mendoza et alii.

FORTIS ROBORE. — Septuaginta, *potens robore*; Vatablus, *heros fortis*, id est bellicus et disciplina militari clarus. Talis ergo fuit Cis, pater Saulis, et consequenter ipse Saul: talis enim decebat eligi in regem Israelis, ut eum contra Philisteos aliosque hostes propugnaret, uti reipsa fecit Saul.

Tropologicæ, «fortis robore» est, ait S. Gregorius, qui virtutem quam monstrat in opere bono, habet a Spiritu Sancto. Unde Apostolis ait Christus: «Sedete in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto.» Lucæ cap. xxiv, vers. 40.

2. ET ERAT EI FILIUS VOCABULO SAUL. — Hebraice Saul idem est quod *postulatus*. Nomen ergo hoc ei inditum videtur nomine divino, et quasi præsigio; quod ipse populo postulante regem a Deo evocandus foret ad regnum.

A Saule quasi primo Israelis rege ex tribu Benjamin creato, nomen accepit Saul sive Saulus «eo quod ad vexandam Ecclesiam a diabolo esset postulatus,» ait S. Hieronymus in epist. ad Philem., qui erat ex eadem tribu, sed ex Saulo a Deo factus est Paulus, id est, ex Jædeo, Christianus; ex persecutore, prædicator; ex Phariseo, Apostolus; ex Jædeorum fiscali, Doctor gentium.

Minus genuine ergo Ambrosiaster in cap. i ad Romanos, Saul, vel Saulus, derivat a Græco *σαῦλος*, id est maris commotio et inquietudo, ut Saulus sit idem, quod inquietus et turbator, qualis initio fuit Paulus.

Minus quoque apte alii Saul derivant a *שׂוּר* *seul*, id est vulpes: Saul enim per N scribitur, *seul* per P. Allusio pariter est non etymon, quod recenset Georgius Venetus, sect. 8, *Problem.* 433. Saul dicitur quasi *שׂוּר* *seul*, id est, infernus; nam sicut infernus nullis malis satiatur, sic Saulus erat barathrum vitiorum.

Allegoricæ Saul fuit typus Christi Regis *~rum*. Nam, ut ait Beda, nomen Saul quod dicitur *ex-petitio*, Christo apissime congruit, qui fuit desiderium gentium, et magno desiderio semper imploratur et adesse rogatur. Unde Christus a Jacob. Genes. cap. xlix, vers. 26, vocatur «desiderium collium æternorum;» et a Sponsa, Cant. cap. v, vers. 16: «totus desiderabilis;» Hebraeus, *totus*

desideria; S. Hieronymus, lib. I *Contra Jovin.*, «te-tus concupiscentia.»

ELECTUS ET NOVUS. — tum physice, quasi dicitur Saul erat insigni corporis forma et specie; quæ, ut ait Euripides, digna est imperio. Unde Chaldaeus verit, *juvenis pulcher*. Ita Procopius et Serrarius. Unde Severus Sulpitius, lib. I *Sacre Hist.*: «Saul, inquit, modestus animi, forma excellenti erat, ut merito dignitas corporis dignitati regie conveniret:» tum ethice et moraliter, quia erat vir probus et virtute præditus. Ita Josephus, S. Gregorius, Abulensis et alii.

Porro «bonitas Saulis, ait Abulensis, maxime erat circa humilitatem: quod erat valde in eo admirabile; nam ipse erat vir in virtutibus excellentis, corporis statura admirabilis; quod solum hominis superbos efficit; ipse autem hæc omnia habens, erat valde humilis.»

Tropologicæ S. Gregorius: «Quid, inquit, in Saul electo et hono significatur, nisi sanctorum Patrum electi imitatores, qui per doctrinam alii utiles sunt, et per conversationem sibi? qui sic alios possunt regere, ut sibi melius nequaquam desinant providere? Electi namque et boni sunt, quia sic luera aliorum expetunt, ut sui nulla damna patiantur. Pleni quippe in se ipsis sunt affluentes aliis, et de abundantia sui sic aliis tribuunt, ut suis plenitudinis aliquid non amittant.»

ET NON ERAT VIR DE FILIIS ISRAEL MELIOR ILLO. — puta o populo; nam Samuel iudex et propheta utique melior et sanctior erat Saule. Hinc cap. xiii, vers. 1, dicitur: «Filius unius anni erat Saul,» id est erat tam innocens et purus, ac si fuisset infans unius anni. Unde Chaldaeus, *unius anni*, ait, *in quo non sunt peccata*. Sic et S. Gregorius, Angelomus, Procopius, Theodoretus, Rupertus, Abulensis et alii.

Causam dat S. Gregorius, II part. *Pastoralis*, cap. i: «Tantum, ait, debet actionem populi actio transcendere Præsulis, quantum distare solet a grege vita Pastoris: ut scilicet tantum præcellat subditis, quantum homo præcellit brutis,» ait S. Chrysostomus, lib. II *De Sacerdot.*

Vide jam, et miserere lapsum Saulis, qui ex tam bono, tam malus evasit, ut a Deo reprobus vita sit spoliatus et regno. Audi S. Gregorium Nazianzenum, *Oration.* 7: «Quid de Saule existimamus? nam et unctus, et Spiritus factus est particeps, ac tunc spiritalis erat: non enim de eo secus dixerim.» S. Hieronymus in cap. xi *Ezechielis*: «Eliguntur inquit, præsentia: nec statim qui eligitur, tentari non potest, nec perire; quia et Saul electus in regem, et Judas in apostolum suo postea vitio corruerunt.»

Causam lapsus assignat S. Cyprianus, *epist.* 7: «Salomon, inquit, et Saul, quando in visis Domini ambulaverunt, datam sibi gratiam tenere potuerunt: recedente ab eis disciplina dominica, recessit et gratia.» Cyrillus Alexandrinus in *Joan.* cap. xix, probat quod «Deus superbis resistit, humilibus

antem dat gratiam, exemplo Saulis: «Saul, inquit, cum parvus esset in oculis suis, dux super Israel constitutus est; cum vero in superbiam elatus est: a Deo abjectus et reprobatus: cum David vilis in oculis suis saltaret coram area ludens cithara, mirum in modum Deo placuit; cum vero tumore animi inflatus populum jussit numerari, vindicem manum Dei sensit.»

3. QUERE ASINAS. — Asini in Syria sunt præstantiores Europæis; unde filii principum vehabantur asinis, *Judic.* cap. x, vers. 4, et cap. xii, vers. 14. Asinus ergo apud Hebræos erat jumentum regale. Hebræi enim equis vix utebantur, idque ex Dei monitu, *Deuter.* cap. xvii, vers. 16. Hoc ergo Sauli fuit quasi omen regni, ut quærens asinas reperiret regnum, sique rex insideret. Hinc et Christus dum quasi Messias rex Israelis inaugurandus, cum ramis palmarum perrexit Hierosolimam, vehabatur asina, *Matth.* cap. xxi, 5.

Moraliter, vide hic quam omnis nobilitas ex vitalitate sit orta. Nam ab asinis Saul evehctus est ad regnum, et ex agasone factus est rex. Sic David ex opulente creatus est rex. Unde S. Chrysostomus, hom. 30 in *Matth.* «Tu, inquit, qui magna de nobilitate majorum factus, ultra proavos atque avos tuos si progrediaris, invenies multos e genere tuo agasones, forsitan aut cappones fuisse.»

4. PER TERRAM SALISIA, — que et *Bala*, et *Segor* dicta est. Audi S. Hieronymum in trad. Hebr. in *Genes.*: «*Bala*, inquit, lingua Hebræa, *desertum* dicitur. Tradunt igitur Hebræi hanc eandem in alio Scripturarum loco Salisam nominari, dicitque rursum vitulum consternantem, quod scilicet, lecto motu terræ absorpta est, et ex eo tempore quo Sodoma et Gomorha, Adama et Seboim divino igne subversa sunt, illa parvula nuncupetur; siquidem *Segor* transfertur in *parvam*.»

Allegorie Saul est Christus, ait Beda, ob quinque analogias et typos: «*Primus*, quia Saul dicitur electus: sic et Christus, *Isai.* cap. xlii: Ecce puer meus quem elegi. *Secundus*, quia Saul super omnes eminebat: et ita Christus, de quo *Sponsa*, *Cant.* cap. ii, vers. 23: Sicut malus inter ligna sylvarum, sic dilectus meus inter filios. *Tertius*, quia Saul missus est a patre ad quærendas asinas; Christus ad quærendas animas. *Quartus*, quia Saul secum duxit puerum; Christus choram Apostolorum. *Quintus*, quia Saul quærens asinas invenit regnum; Christus, quærens animas, constitutus est Rex ab eo super Sion montem sanctum ejus,» *Psal.* ii, vers. 6.

7. IN SITARCHIS NOSTRIS. — *Sitarchia* sunt peræ vel sæculi, quibus panes reliquique cibi ad vitium imponuntur. Græce enim *σιταρχία* vocatur annonæ militaris, quasi *στρατῆς ἀρχή*, id est frumentum, vel cibis sufficiens. Inde metonymice peræ hunc cibum continentem vocantur sitarchia. Male ergo nonnulli legunt *cistartitis*, quod nomen derivant a Latino *cista*, et Græco *ἐπί*, q. d. cista vel sporta panis.

ET SPORTULAM NON HABEMUS, UT DEMUS HOMINI DEI. — Sportule vocantur manuscula cibaria, vel etiam nummaria, ait Budæus in *Tand.* Hæc enim sportulis, id est parvis sportis ad sportandum imponi solebant, uti fieri videmus Romæ in sportulis quarum frequens est usus ad cibaria transmittenda. Hebræice enim est *ספורת תעורה*, id est munus, xenium, donum; hæc enim in jure vocantur sportule, eo quod in sportulis offerrentur Judicibus a litigatoribus. Hæc igitur Saul volebat offerre Samueli pro oraculo asinorum, non ut mercedem; hoc enim fuisset peccatum simonia, scilicet emere et vendere prophetiam, que est res spiritualis, pretio temporali, sed ut munus gratitudinis, vel sustentationis causa, ultro oblatum: putabat enim Saul ex honestate Prophetæ debere, sed ignorabat virtutem Samuelis, numeram quilibet respuentis. Ita Josephus, Procopius, Theodoretus.

9. QUE ENIM PROPHETA DICITUR HODIE, VOCABATUR OLIV VIDENS. — a visione prophetica, quam a Deo accipiebat. Prophetia enim dicitur *visio*; unde *Isaie* inscribitur ejus prophetia, æque ac alio rum Prophetarum.

13. ANTEQUAM ASCENDAT EXCELSUM AD VESCENDUM, — nimirum Samuel quasi sacerdos obtulit hic sacrificium: hoc enim loco excelsus, v. g. in colle, aut monte offerri solebat. Fuit autem hoc sacrificium pacificum: ex tali enim instruebatur convivium, quale hic instruxit Samuel, cum eodem excepit Saulem.

Tropologic S. Gregorius, II part. *Pastor.*: «Qui cumque, inquit, ad celsitudinem cure pastoralis assumitur, in eadem ordinis sui sublimitate habere debet et vite propriæ altitudinem, et alienæ infirmitatis compassionem.» Et paulo post: «Samuel ergo Saul ad excelsum tulit, et in oppidum deposuit; quia summi viri cum sanctæ Ecclesiæ culmen ordinant, illos quos in eodem culmine ponunt, docent sublimiter vivere, plana predicare, sibi esse rigidos, sed subditis temperatos; sic attendere propriæ salutis, ut cum infirmis possint infirmari; infirmari dixerim, per affectum mentis, non per languorem internæ aegritudinis; nam si per mentis languorem doctor jacet, curare ægros, et jucentes erigere non potest.»

15. DOMINUS AUTEM REVELAYERAT AGRICULAM SAMUELIS, — quasi dicit: Dominus occulte revelaverat Samueli posttridie ad eum venturum Saulem, quem ipse regem designarat, perinde ac si id in aurem ei dixisset. Sic enim in aurem dicitur quod occultum esse volumus.

19. ASCENDE ANTE ME. — Quare, inquit Dionysius Cardusianus, «non dixit: Sequere me, vel perge mecum in excelsum; sed ascende ante me: an ad præfigurandum quod Saul erat sibi et aliis præficiendus in regem? Samuel quoque erat senex; nec potuit pariter illud montuosum celeriter ascendere.»

Tres alias causas dat noster Mendoza: «Mibi,

inquit, videtur Samuel hæc in re et humilitatis, et obedientiæ, et temperantiæ exemplum præbuisse. Humilitatis quidem, quia potiores partes cessit Sauli, pone se regem electo, sed etiam eligendo debitam reverentiam deferbat. Temperantiæ denique, quia qui ad labores oclor prævolabat, ad prædium tardior sequebatur.»

ET OMNIA QUE SUNT IN CORDE TEO, INDICABO TIBI, — id est quidquid scire volueris, «indicabo tibi.» Hebræi, teste S. Hieronymo, tradunt Saulem habuisse omen regni per visionem, qua vidit se in summitate palmæ collocari, quæ visio regalis erat; ac de hac voluisse consulere Samuelem. Verum sequentia Saulis verba, quibus Samuel ei regnum denuntians adeo se humiliat, et quasi obstupescit, significant eum plane hujus rei fuisse inscium, nec quicquam de regno cogitasse.

20. ET CIVIS ERIT OPTIMA QUEQUE ISRAEL, NONNE TU? — «Optima,» id est regnum sive potestas et dignitas regia: hæc enim in Republica nihil est præstantius; hebræice est *כֹּל הַטּוֹב עִתְּמָהּ*, id est, omne desiderabile; sive quod omnes desiderant, regnum; sive quod Hebræi desiderabant, regem; q. d., ait Isidorus Clarus: «Totus Israel desiderat habere regem, et ta esse in quem omnium vota nutu divino conspirant.»

21. NUMQUID NON FILIUS JEMINI EGO SUM DE MINIMA TRIBU ISRAEL? — «Minima,» tum quia tribus Benjamin ob stuprum pene fuit excisa, et ad sexcentos viros redacta, *Judic.* cap. xx, vers. 35. Ita Abulensis, Lyranus, Dionysius tum quia ob stuprum hoc valde fuit difformata et deformata, ideoque videbatur principatu et regno Israelis ob tantam infamiam indigna, æque ac fuit Ruben licet primogenitus Jacobi.

QUARE ERGO MIHI LOCUTUS ES SERMONEM ISTUM? — Intellexit Saul quod Samuel per optima sibi promitteret regnum, quo ipse per humilitatem se indignum censebat, præsertim quia tunc communis omnium erat rumor et expectatio de novo rege creando. Ita Angelomus et Abulensis. Somnium est ergo Hebræorum, quod Saul per palmæ somnium cognoverit se fore regem.

Porro Saul humilitate hac sua meruit exaltari evēhique ad regnum, quod postea per superbiam perdidit. Audi S. Hieronymum, epist. ad *Heliodorum*, de ejus nepote Nepotiano, qui se sacerdotio indignum assererat: «Quanto magis repugnabat, tanto magis in se studia omnium concitabat, et merebatur negando quod esse volebat, eoque dignior erat, quo magis se clamabat indignum.» Idem humilitatem S. Pauli in ejus *Epitaphio* hæc celebrat: «Fugiendo gloriam, merebatur, que virtutum quasi umbra sequitur, et appetitores sui deserens, appetit contemptores.»

22. INTRODUXIT EOS IN TRICLINIUM, — ad convivium hoc sacrum, pasta instructum ex sacrificio pacifico, ut dixi vers. 13. Unde Hebræa, Græca, et Noster illud vocant *sacrificium*; Chalde

tionem sanctam, ideoque non in urbe et in domo Samuelis, sed foris in excelso monte celebratum est.

Pro *triclīnium* hebræice *לִשְׁכַּת לֶחֶם* *liscata*, id est *cœnaculum*: nequid enim erat usus accumbendi mensæ, sed prisci ei assidebant, uti nunc facimus; unde fratres Joseph mensæ ejus assedissee dicuntur, *Genes.* cap. xlii, vers. 33. Sic in deserto «edit populus manducare et bibere,» *Exodi.* cap. xxxii, vers. 6. Imo etiam multo post David: «Ego, inquit, ex more sedere soleo juxta regem ad vescendum,» I *Reg.* cap. xx, vers. 5; et Salomon: «Quando sederis ut comedas cum principe,» etc. *Prov.* cap. xxiii, vers. 1.

TRICLINIUM — autem proprie significat tres ordines lectorum (*zōim* enim est lectus) mensalium, in quibus conviva semijacentes et semisedentes accumbent mensæ. Ergo hoc proprie non erat triclīnium, sed cœnaculum: vocatur tamen a troa Interprete triclīnium, quia posteri usi hinc lectus, cœnaculum quodlibet vocarunt triclīnium, uti etiamnum vocatur, et usus accumbendi in lectulis cessavit, et etiam priscus sedendi in mensa sit reductus.

DEDIT HIS LOCUM IN CAPITE, — ut indicaret Saulem ex Dei decreto fore caput et principem Israelis. Porro Deus elegit Saulem in regem, quia tum erat optimus, etsi postea superbiens reciderit. Præsciebat Deus hunc casum, sed eum permittere decrevit, tum quia eum cum se libertati permittere voluit; tum ut puniret Hebræos, qui regem se invito pellerant; tum ut daret nobis exemplum eligendi præpositos pro tempore dignissimos, ac tolerandi eorum lapsus, si postea a primæva bonitate desciscant.

Aliam causam dat S. Gregorius: «Et fortasse, inquit, idcirco reprobis rex eligitur, ut electus successor ejus rex David in eo cognosceret quid cavere debuisset. Sic nimirum et de illa Angelorum curia legimus; quia de apostata primo angelo scribitur: Ipse est principium viarum Dei,» *Job.* cap. xl, vers. 14. «Sed quia ante omnia conditus est per superbiam cecidit, et in ejus ruina sancti Angeli didicerunt, quia virtute stare potuissent,» etc.

24. LEVAVIT AUTEM COCUS ARMUM, ET POSUIT ANTE SAUL. — Dices: Armus dexter victimæ pacificæ (qualis hæc erat) cedebat sacerdoti, puta Samueli nec nisi ab eo ejusque servo comedi poterat, uti sancitur *Levit.* cap. xvii, vers. 11. Quomodo ergo eum Samuel tradit Sauli? Respondet Abulensis armum hunc fuisse non dextrum, sed sinisterum, qui a laicis comedi poterat. Si malis fuisse dextrum, dicitur armum hunc non fuisse victimæ, sed animalis communis. Cum victimis enim, si illa numero convivarum non sufficienter, poterant comedi aliæ carnes communes, que non erant Deo sacrificatæ.

Moraliter, discite hic frugalitatem prisci revi. In «li regi non perdesces, non phasianos,

non varia fercula, sed unum armum apponit. Anni qualia fuerint primorum Christianorum convivia, describentem Tertullianum in *Apol.* xxxix: « Non prius discombibitur, quam oratio ad Deum prægustetur, editur, quantum esurientes capiunt: bibitur, quantum pudicis est utile: ita saturantur, ut qui meminerint etiam per noctem adorandum Deum sibi esse; ita fabulantur, ut qui sciant Dominum audire. Postquam manuleam, et lumina, ut quisquis de Scripturis sanctis, vel de proprio ingenio potest, provocatur in medium Deo canere. Hinc probatur quomodo hiberit. Æque oratio convivium dirimit. Inde descenditur ad eandem curam modestie et pudicitie: ut qui non tam comam convenerint, quam disciplinam. »

S. Antonius, teste S. Athanasio, solo pane, sale et aqua vixit ad annum ætatis 103. S. Paulus primus Eremita, teste S. Hieronymo, pane et aqua ad annum ætatis 113. S. Illarion herbarum succo et paucis caryeis post triduum ad annum 80. Idem fecere ceteri Anachoretæ, teste Theodoro, Palladio, Cassiano. Audi S. Bernardum, epist. 1 ad *Robertum*: « Prudenti, inquit, sobrieque conversanti satis est ad omne condimentum, sal cum fame. Surge, præcingere, tolle otium, exere vires, move brachia, compiosas explica manus, excitare in aliquo, et statim senties sola te appetere que famem tollant, non fauces demulceant. Reddet quippe saporibus rebus exercitium, quos tulit inertia: famem miro modo dulcia reddit, que fastidium facit insipida. Olus, faba, pulles panisque cibarius cum aqua quiescenti quidem fastidius sunt, sed exercitatio magne videntur delicia. »

Denique prisci Romani pulvis pro pane vescabantur, teste Valeriano Maximo, lib. II, cap. v. Unde et pulphagi sunt appellati, erantque sani et validi, ut totum fere orbem sibi bello subiecerint. Medici enim docent multum ad sanitatem et vires conferre, si quis uno duntaxat, coque simpliciter cibo vescatur, crudelitatis enim, indeque febrium et morborum causam esse ciborum varietatem. Idem docet experientia.

QUIA DE INDUSTRIA SERVATUM EST TIBI. — Causam dant Septuaginta dum vertunt: In testimonium positum est tibi a populo, id est, præter alios, ut habent Romana, e populo; quasi dicat: Hic armus tibi servatus est, ut te quasi futurum regem discriminet a cætero populo. « Armus, inquit Theodoretus et Procopius, servatur Sauli, quasi regnatorum et pro populo periculum addituro, ideoque vocatur testimonium. » Unde Josephus, lib. VI, cap. iv, hunc armum vocat « regalem. » Armus enim symbolum est fortitudinis bellicæ, que in rege, pensertim Saule, hoc tempore pro Israele a Philistæis oppresso, pugnaturum requirebatur. Audi S. Gregorium: « Quid in armu pectoris nisi fortitudo signatur actionis? » Hæc autem in quovis

rege, sed maxime in Saule ad subigendos hostes requirebatur.

Hæc de causa sacerdoti ex victima cedebat armus dexter; separatus, ait S. Gregorius, II part. *Pastor.* cap. III: « Ut non solum sit ejus operatio utilis, sed etiam singularis. Nec inter malos tantummodo que recta sunt faciat; sed bene quoque operantes subditos, sicut honore ordinis superat, ita etiam morum virtute transcendat. Cui in usu quoque pectusculum cum armo tribuitur, ut quod de sacrificio præcipitur sumere, hoc de semelipso, auctori discat immolare; et non solum pectore, que recta sunt cogitet, sed spectatores suos ad sublimia, armo operis invitet. » Hinc armus hic a Josepho vocatur « portio regalis: » voluit enim eo facto insinuare Samuel reges ac duces præcipue eminere debere in fortitudine et magnanimitate, quam armus significat, quem comedere debent, ut in ipsam animam fortitudinem trajiciant, non magni facientes illam que est corporis.

Sed Saul cecit armus sine pectusculo, quia fuit in eo armus fortitudinis; sed defuit ei ductus sapientie, compassionis et charitatis in Davidem, aliosque suos cives.

Duas alias causas dat Auctor *Antiq. Comical.*, lib. I, cap. xxxiii. *Primum*: « Quod, inquit, armus in sacrificiis pars esset sacerdotum propria, Samuel hoc symbolo id admonere voluit, ut rex factus cum sacerdotibus conjuncte viveret: ita enim beatum et florens futurum ipsius regnum. » *Secundam*, « quod cum armus maxime valeat ad onera ferenda, Saul cogitare se non ad jocum, ad lusum, ad voluptates, sed ad maxima onera ferenda atque sustinenda vocari. »

25. ET LOCUTUS EST CUM SAULE IN SOLARIO. — Quid? Rabbini apud Lyranum et Abulensem: « De timore, inquit, Dei et custodia legis; » Carthusianus: « De pertinentibus, inquit, ad salutem, admonendo eum ad meliora; » Abulensis: « De pertinentibus ad instructionem regis, qualiter iste se debet habere ad subditos, et qualiter ad Deum. »

STRAYITQUE (Samuel lectum, puta culcitram, aut saccum stramineum, ut faciunt Hungari et Poloni) SAUL (Sauli, vel ut Gregorius, stravit Saul sibi ipsi) IN SOLARIO, — puta in tecto soli exposito. In Palestina enim tecta sunt plana, ut in iis ambulare, cenare, dormire queant, uti dixi *Deut.* xxii, 8. Audi S. Hieronymum ad *Suniam et Fretalam* in *Psal.* ci: « In Palestina et Ægypto, ubi, vel scripti sunt divini libri, vel interpretati sunt, non habent in tectis culmina, sed domata, que Romæ vel solaria vel meniana vocant, id est plana tecta, que transversis trabibus sustentantur. »

Hæc verba desunt in Hebræo, et Chaldaeo, et Latinis Regiis, verum habent Septuaginta, *straverunt*, inquit, *Sauli in solario*. Vide Franciscum Lucam in *Notis* hic.

CAPUT DECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Samuel secreto ungit Saulem in regem, idque Dei jussu se facere triplici signo Sauli dato confirmat. Primo, est reperiarum asinarum. Secundo, trium virorum euntium in Bethel. Tertio, chori Prophetarum, cum quibus et Saul actus Dei Spiritu prophetat. Mox, vers. 17, Saulem palam in Maspha coram toto populo Saulem per sortem regem a Deo electum designat.

1. Tulit autem Samuel lenticulam olei, et effudit super caput ejus, et deosculatus est eum, et ait: Ecce, unxit te Dominus super hæreditatem suam in principem, et liberabis populum suum de manibus inimicorum ejus, qui in circuitu ejus sunt. Et hoc tibi signum, quia unxit te Deus in principem. 2. Cum abieris hodie a me, invenies duos viros juxta sepulcrum Rachel in finibus Benjamin, in meridie, dicentque tibi: Inventæ sunt asinæ, ad quas ieras perquirendas; et intermissis pater tuus asinis, sollicitus est pro vobis, et dicit: Quid faciam de filio meo? 3. Cumque abieris inde, et ultra transieris, et veneris ad quercum Thabor, invenient te ibi tres viri ascendentes ad Deum in Bethel, unus portans tres hædos, et alius tres tortas panis, et alius portans lagenam vini. 4. Cumque te salutaverint, dabunt tibi duos panes, et accipies de manu eorum. 5. Post hæc venies in collem Dei, ubi est statio Philistinorum, et cum ingressus fueris ibi urbem, obvium habebis gregem prophetarum descendenti-um de excelso, et ante eos psalterium et tympanum, et tibiam, et citharam, ipsosque prophetantes. 6. Et insiliet in te Spiritus Domini, et prophetabis cum eis, et mutaberis in virum alium. 7. Quando ergo evenierint signa hæc omnia tibi, fac quæcumque invenerit manus tua, quia Dominus tecum est. 8. Et descendes ante me in Galgala (ego quippe descendam ad te), ut offeras oblationem, et immoles victimas pacificas: septem diebus expectabis, donec veniam ad te, et ostendam tibi quid facias. 9. Itaque cum avertisset humerum suum ut abiret a Samuele, immutavit ei Deus cor aliud, et venerunt omnia signa hæc in die illa. 10. Veneruntque ad predictum collem, et ecce cuneus prophetarum obvius ei; et insiluit super eum Spiritus Domini, et prophetavit in medio eorum. 11. Videntes autem omnes qui noverant eum heri et nudius tertius, quod esset cum prophetis, et prophetaret, dixerunt ad invicem: Quænam res accidit filio Cis, num et Saul inter prophetas? 12. Responditque alius ad alterum, dicens: Et quis pater eorum? propterea verum est in proverbium: Num et Saul inter prophetas? 13. Cessavit autem prophetare, et venit ad excelsum. 14. Dixitque patruus Saul ad eum, et ad puerum ejus: Quo abistis? Qui responderunt: Quærere asinas; quas cum non reperissemus, venimus ad Samuelem. 15. Et dixit ei patruus suus: Indica mihi quid dixerit tibi Samuel. 16. Et ait Saul ad patruum suum: Indicavit nobis quia inventæ essent asinæ. De sermone autem regni non indicavit ei, quem locutus fuerat ei Samuel. 17. Et convocavit Samuel populum ad Dominum in Maspha; 18. et ait ad filios Israel: Hæc dicit Dominus Deus Israel: Ego eduxi Israel de Ægypto, et erui vos de manu Ægyptiorum, et de manu omnium regum qui affligebant vos. 19. Vos autem hodie projecistis Deum vestrum, qui solus salvavit vos de universis malis et tribulationibus vestris; et dixistis: Nequaquam; sed regem constitue super nos. Nunc ergo state coram Domino per tribus vestras, et per familias. 20. Et applicuit Samuel omnes tribus Israel, et cecidit sors tribus Benjamin. 21. Et applicuit tribum Benjamin et cognationes ejus, et cecidit cognatio Metri; et pervenit usque ad Saul filium Cis. Quæsierunt ergo eum, et non est inventus. 22. Et consulerunt post hæc Dominum utrumnam venturus esset illuc. Responditque Dominus: Ecce absconditis est domi. 23. Ca-

currerunt itaque et tulerunt eum inde; stetitque in medio populi et altior fuit universo populo ab humero et sursum. 24. Et ait Samuel ad omnem populum: Certe videtis quem elegit Dominus, quoniam non sit similis illi in omni populo. Et clamavit omnis populus, et ait: Vivat rex. 25. Locutus est autem Samuel ad populum legem regni, et scripsit in libro, et reposuit eum coram Domino; et dimisit Samuel omnem populum, singulos in domum suam. 26. Sed et Saul abiit in domum suam in Gabaa; et abiit cum eo pars exercitus, quorum tetigerat Deus corda. 27. Filii vero Belial dixerunt: Num salvare nos poterit iste? Et despexerunt eum, et non attulerunt ei munera: ille vero dissimulabat se audire.

Vers. 1.
Uctione
nis re-
gum an-
tiquitas.
Glossa.
Verna.

1. TULIT AUTEM SAMUEL LENTICILAM OLEI, ET EF-
FUDIT SUPER CAPUT EJUS. — Ille primus est rex Isra-
el qui unctione consecratur: nam apud Genes
ungi jam erat in usu, ut colligitur ex illo Ju-
dic. ix. 8. «Terunt ligna ut ungerent super se re-
gem.» Sic Cyrus vocatur *Christus*, id est unctus,
Isaia xlv. 1. Unctio hæc ordinarie fiebat a Ponti-
fice; subinde tamen a Propheta, uti hic. Causæ
cur ungerentur erant variae. *Prima*, ut significa-
retur summa regis dignitas in temporalibus, æque
ac Pontificis in spiritualibus. Hæc enim de causa
ungebatur, ait Abulensis. Audi S. Cyprianum,
(vel quisquis est Auctor) *De Cardinal. Christi ope-
ribus*, tract. *De Chrismate*: «Sicut oleum, inquit,
fluïtat et humidis quibuslibet superfertur; ita ex-
cellentia sacerdotalis et regie dignitatis, secun-
dum formam Dei et Christi sub se omnia conti-
nens, regimem et munimen tam activæ quam con-
templativæ vite obtinet.»

Secunda, ut significaretur novo regi a Deo in-
fundi novas vires et spiritum, ad populum Dei
in vero ejus cultu continendam, et contra in-
fideles defendendam.

Tertia, ut admonerent reges lenitatis, benigni-
tatis, clementiæ, misericordiæ, charitatis et bene-
ficientiæ (horum enim symbolum est oleum) exerce-
ndæ in subditos. Ita S. Gregorius: «Oleum,
inquit, liquoribus aliis superfertur: oleum ignem
fovet; oleum vulnera curare consuevit. Ungitur
ergo caput regis, quia spirituali gratia mens est
replenda Doctoris. Habeat in unctione sua oleum:
habeat misericordiam abundantem, quæ virtuti-
bus aliis preferatur. Habeat oleum, ut dum ar-
dorem Sancti Spiritus in se nutrit, lucere vehem-
enter aliis per verbum possit. Habeat oleum
medicinæ, ut sapienter disponat, qualiter peccatorum
fiores tergat, et agras mentes salutis res-
tituat.» Ita S. Gregorius, tropologicè adaptans
Doctori, quod ad litteram dicitur de rege.

Quarta, ut esset typus Christi, qui est summus
sacerdos, rex et propheta; Christus enim unctus
est a Deo oleo gratiæ, tum habitualis copiosissi-
mæ, tum unionis hypostaticæ, quæ in se est emi-
nentissima. Quocirca reges uncti in Scriptura ve-
cantur «sancti,» imo «Christi» sive «Messiæ,»
ut patet cap. xxiv. 26, et lib. II, cap. 1, 4.

Hinc mos hic ad Christianos derivatus est, ut
eorum Imperatores et Reges ungantur, imo de
jure Canonico sancitum est, ut patet ex cap. Ve-

nerabilem, *Extra. de electione*. Et cap. *Cum ven-
sent, Extra. de sacra unctione*, quem morem Deus
miraculo confirmavit. Nam cum S. Remigius Clo-
doavaum in regem Franciæ ungeret, columna e
celo detulit ampullam olei, quo eum unxit; qua
etiānum Rhemis asservatur, indeque reges Fran-
ciæ uncti a Deo nanciscuntur facultatem curandi
strumas, sive scrophulas, uti asservunt rerum Gal-
licarum scriptores, et testantur qui presentes fue-
runt, et id ipsum viderunt.

Porro hæc cæremoniæ non ex lege, sed ex con-
suetudine apud Hebræos in unctione regis adhi-
bebantur, ait Serarius: «*Prima*, rex inaugurandus
in sede collocabatur. *Secunda*, diademate or-
nabatur, II *Paral.* xxix; IV *Reg.* xi. *Tertia*, unge-
batur. *Quarta*, ei dabatur in manus liber legis, id
est, Deuteronom. *Quinta*, jurabatur in ipsius ob-
servationem. *Sexta*, sacrificia fiebant omnis ge-
neris, III *Reg.* i. et hic infra cap. xi, quemadmo-
dum apud Herodianum, lib. II. *Septima*, edebatur
varia lætitiæ et approbationis signa, III *Reg.*
et hic vers. 25, 27.»

LENTICILAM OLEI. — Oleo sacro ungebantur Pon-
tifices; reges vero nunc sacro, ut cum a Pontifice
ungebantur; nunc communi, ut cum a Propheta
quopiam. An Saul unctus sit ab eo sacro ex ta-
bernaculo accepto, an communi, incertum est. He-
bræi, teste Vatablo, tradunt solos reges descen-
dentes ex Juda et Davide, sacro oleo unctos fuisse:
Saullem vero communi, eo quod reprobatus foret.

Porro *lenticula* erat vasculum sive lagunculæ
lenticulari figura, sive instar lentis, qualem ha-
bet cornu (unde et cornu vocatur). Minus apte
ergo Abulensis putat *lenticulam* a linciendo dictam.
Idem vasculum Festo et Varroni guttur sive gut-
turium, eo quod propter colli angustiam liquor
ex eo guttatim effluat. Parvum erat hoc, tum quia
parum olei in caput regis effunditur, tum quia
secreta et privata erat hæc unctio.

Symbolicè S. Gregorius: «*Lenticula*, ait, est
parvum vas: quid ergo est, quod lenticula Saul
ungitur, nisi quia in fine reprobatur? velut enim
lenticula, olei parum habuit, qui spiritualem gra-
tiam projiciendus accepit.» Et inferius: «eo con-
tra autem, cum electus rex (David) ungi præcipitur,
eidem prophete Dominus ait: Imple cornu
tuum oleo,» I *Reg.* xvi. 1. Et Rupertus, lib. II. *de
Joannem*, cap. 1: «Deus, inquit, cum Samuelem

misit, ut in regem ungeret electum suum David
non lenticulam, sicut ad inangendum Saul, sed
cornu olei tollere jussit; verisimiliter significans
doni sui magnitudinem, simul et fortitudinem,
id est, throni ejus firmitatem et prophetali gra-
tiam celestidinem.»

ET DEOSULATUS EST EUM. — Osculum hoc signifi-
cabat gratiæ communicationem, inquit Procopius,
ac regalis et sacerdotalis officii mutuam con-
cordiam et operam, scilicet reges debere cum sa-
cerdotibus et Pontificibus esse concordēs, ac mu-
tuo se invicem adjuvare, protegere et propugnare.
Osculum enim amicitiae et pacis est symbolum.
Tunc enim optimum est regimen, cum potestas
civilis Ecclesiasticæ, sive eam regnum Ecclesiæ,
et rex Pontifici subservit et opulatur. Audi Theo-
doretum, *Quest.* xvi, causam hujus osculi litte-
ræ et allegoricam assignantem: «Gratia, in-
quit, que sibi inerat eum imperavit. Nam Deus
quoque cum insulasset in Apostolos, dixit: Acci-
pe Spiritum Sanctum. Etenim ex plenitudine
ejus omnes accepimus. Sic Propheta deosulatus
est regem cui impositæ erant manus.»

Addit Abulensis osculum æque ac unctionem
fuisse cæremoniæ, qua Saul constitutus fuit rex.
Sicut enim cum quis creatur Doctor, inter alios
ritus solet accipere osculum a Doctore qui ipsum
creat, et quasi osculo sibi æquat, et in cæterorum
Doctorem numerum ad-ciscit: sic Samuel iudex
et princeps osculatur Saullem, quasi illum sibi
æquans, et inter principes constituens, imo regem
efficiens. Sic Isaac osculatus est Jacob, confrensus
ei benedictionem primogenituræ, et ex ea princi-
patum super fratres, *Genes.* xxvii. 27. Osculum
ergo erat signum primogenituræ et delati princi-
patus.

ECCË UNXIT TE DOMINUS SUPER HEREDITATEM SUAM,
— id est super populum suum, uti explicans sub-
dit, juxta illud: «Hereditas mea Israel;» Israel
enim erat quasi synagoga, respublica et regnum
Deo peculiare et proprium, juxta illud *Exodi* xix,
5: «Eritis mihi in peculium de cunctis gentibus.»

Moraliter S. Gregorius: «Doctor, inquit, eligi-
tur, ut de prelatione sua non suum, sed Domini
lucrum querat. Uctionis fructus est cultus divi-
næ hereditatis.»

ET HOC TIBI SIGNUM, QUA (quod) UNXIT TE DEUS
IN PRINCIPEM. — Dat Samuel signum, quod jussu
Dei eum unxerit, ac Deus per eum liberatum sit
Israel de manu hostium, ut Saulis humilis et
trepidantis, tam novum arduumque opus et onus
subire, animum elevet, roboret et confirmet. Ita
Theodoretus, Procopius, Hugo, Dionysius et alii.
Hinc S. Gregorius: «Cum, inquit, sancti viri ad
primatum sanctæ Ecclesiæ sustolluntur, vehemen-
ter expavescent; ne onus tanti ordinis sibi judi-
ciorum hominum sit impositum, non ordinatione con-
ditoris. Ad robur ergo humillium dantur signa,
quibus se a Deo non ab hominibus electos sciunt.»

— 2. INVENIS DUOS VIROS JUXTA SEPULCRUM RACHEL

IN FINIBUS BENJAMIN. — Hoc sepulcrum erat in Beth-
lehem, ideoque in tribu Juda, *Genes.* xxxv. 19;
sed tribus Benjamin erat confinis tribui Judæ. Ita
Lyranus, Abulensis et Serarius. Alienum enim
est sic eum nonnullis dispungere, quasi dicat:
«Duos viros» qui nunc, dum hæc loquor, sunt
«juxta sepulcrum Rachel, invenies in finibus
Benjamin,» cum eo veneris.

Tropologicè Rachel, ait S. Gregorius, monet
regem debere vacare contemplantioni, præsertim
de sepulcro et morte sua, indeque progredi ad
actiones suas, et functiones regis.

IN MERIDIE. — Refer hoc non ad locum, sed ad
tempus, quasi dicat: Invenies eos in tempore me-
ridiano. Hoc enim significat hebraice *צלה* *tselach*,
sach, id est clara umbra; talis enim est in meridie.
Septuaginta vertunt, *salientes grande*, sive *gran-
diter*, a radice *צלה* *tsalach*, id est saltare. Quasi
dicat: Invenies duos viros saltantes. Id est ala-
cres et lætos, ac præ lætitiâ exultantes. S. Grego-
rius, Dionysius, Hugo, Abulensis legunt, *salientes
magnas*, vel, *claras foveas*: per quos S. Gregorius
tropologicè prædicatores accipit: «In meridie,
inquit, magnas foveas saliant, quia per fervorem
perfectæ charitatis, cuncta que videntur sæculi,
alta despiciunt, quidquid enim in hoc sæculo al-
tum cernitur, non est vera altitudo, sed fovea
quæ omnes quos in sua ambitione recipit, ad in-
ferna deponit.» Aliter S. Bonaventura: «In me-
ridie, inquit, id est in spirituali prosperitate mag-
nas foveas saliant, qui lætitiâ magnam quam
habent in corde, exterius ostendunt: quia inven-
te sunt asinæ, id est, animæ Christi sanguine
redemptæ.»

ET VENERIS AD QUERCUM THABOR, — montis, in
quo transfiguratus est Christus. Ita Abulensis, li-
cet Hugo patet *Thabor* esse nomen viri cuius
erat hæc quercus. Mystice, *Thabor* hebraicè idem
est quod *renuens lumen*; unde typus est vite con-
templativæ. Ita S. Gregorius: «Hujus operæ, con-
versationis viri, dum ad exteriora inquit, activa
vite non exiunt, quasi in umbra sunt: quia in-
cendia tentationum sentire non possunt. Quia
enim in celesti desiderio requiescunt, quo longius
amoti sunt ab amore mundi, eo quietiores
manent in umbra refrigerii.»

INVENIENT TE IBI TRES VIRI ASCENDENTES AD DEUM
IN BETHEL. UNUS PORTANS TRES FIDEOS, — Deo sa-
cificandos in Bethel. «In Bethel,» id est ubi Ja-
cob vidit Deum innoxiam scalæ per quam ascen-
debant et descendebant angeli. *Genes.* xxviii; et
Bethel dictus est *Bethel*, id est *Domus Dei*. Hinc Be-
locus dictus est *Bethel*, id est *Domus Dei*. Hinc Be-
thel, quasi hæc visione Dei, consecratus fuit locus
orationis, æque ac immolationis: tum quia neco-
rationis, quæ ac immolationis: tum quia taber-
naculum erat in templum, extra quod sa-
crificare Judæis vellebat Deus; tum quia taber-
naculum, quod erat quasi templum mobile et
portatile, jam erat separatum ab arca, quæ Deum
representabat, et arca a tabernaculo, qui erat
proprius arce locus. Tabernaculum enim erat in

Silo, *Judic.* xviii, 4; arca in Cariathiarim, ut audivimus cap. vii, 2. Quare tunc licitum erat alio loco, praesertim a Patriarchis culto qualis erat *Bethel*, sacrificare, Deo id permittente. Hinc et Jeroboam in *Bethel* collocavit vitulum aureum, quasi idolum: ideoque ex *Bethel*, id est domo Dei, fecit *Bethan*, id est domum idoli, uti eam vocant Prophetae.

5. POST HEC VENIS IN COLLEM DEI, — id est in Cariathiarim, ubi erat arca Dei, ait R. Salomon. Unde Chaldaeus vertit, *ad collum in quo arca Domini*. Sic et Isidorus, Clarus, Vatablus et alii; sed errant: nam Cariathiarim erat in tribu Juda; Saul autem jam egressus erat limites Juda, eratque in tribu Benjamin. Lyranus, Glossa, Hugo, Dionysius, per collem Dei accipiunt locum in quo debebant Prophetae Dei, de quibus sequitur. Melius Abulensis, Sanchez et alii accipiunt Gabaa, quae erat patria Saulis, eratque in colle: unde et Gabaa est dicta. Gabaa enim hebraice est collis. Adde, in Gabaa erat statio Philistinorum, de qua sequitur, et patet cap. xxiii, 18. Philistini enim, ut Israelitas sub jugo suo confinerent, et ab eis tributa exigent, certis locis munitis, uti erant colles, habebant sua castra et presidia. Ita Abulensis, Lyranus, Hugo et Cajetanus. *Gabaa* autem vocatur *collis Dei*, quia in ea Prophetae divinas laudes concinentes morabantur.

OBVICI HABEBIS GRIGEM PROPHETARUM. — Prophetae hinc non erant proprie dicti, qui futura praedicerent; sed erant viri religiosi, qui a turba sedentes vacabant Deo, illicque hymnos et laudes concinebant, tum voce, tum instrumentis musicis: unde secum ducebant psalterium, citharam, tympanum et tibiam, ut sequitur. Hos videtur instituisse Samuel, qui multis annis Ellam et Eli-seum antecessit. Unde cap. xix, vers. 20, Chaldaeus vertit, *et Samuelem stantem docentem super eos*. Ii igitur sunt quasi primi Religiosi, quos in sacra Scriptura invenimus. Pro quibus postea David Psalmos composuit. Unde Chaldaeus hos prophetas vocat *scribas*, qui scilicet sacrae Scripturae describende, legende, discende et meditando vacabant, uti tempore Christi fecerunt Esaei. Ita Lyranus, Abulensis, Hugo, Cajetanus, Sanchez, Serarius, Torriellus, Magister *Historiae Scholasticae*, Genebrardus in *Chronico*, et alii. Hi ergo sunt Prophetae, qui in sequent. vocantur *filii*, id est discipuli *Prophetarum*, scilicet Samuelis, Eliae, Elisei, etc. Erant tamen inter eos aliqui veri Prophetae, qui futura praenuntiarent, ut patet ex eo quod. Ii ipsi praenuntiarint Eliseo raptum Eliae in caelum. *ib. IV Regum*, cap. ii, 3. Pluribus id probat Abulensis, cap. xix, *Quaest.* xxxi.

IPSOSQUE PROPHETANTES, — id est hymnos Deo canentes. Cantores ergo hic vocantur prophetae, praesertim ii qui ex afflata Dei hymnos hos eructabant, uti fecit Saul de quo sequitur. Sic filii Asaph dicuntur prophetas, id est, Dei laudes concinisse in citharis, lib. I *Paral.* esp. xiv, vers. 1.

Vide quae de significatis nominis propheta dixi, I *Cor.* xiv. Causam et fractus hujus cantus dat S. Justinus, *Quaest.* cvii. « Excitati aut, Ecclesiasticus cantus cum voluptate quadam animam ad flagrans ejus, quod carmine celebratur, desiderium, affectiones et concupiscentias carnis sedat; cogitationes malas inimicorum, quos querere non est, suggestionem oborientes amolitur: pietas decertatores, generosos et fortes per constantiam in rebus adversis efficit: omnium rerum, quae in vita tristes et luctuosae accidunt, piis affert medicinam. »

Et S. Isidorus, lib. VII *Sent.* cap. vii: « Psallendi, inquit, utilitas tristitia corda consolatur, gratiores mentes facit, fastidiosos oblectat, inertes excitat, peccatores ad lamenta invitat. Nam quamvis dura sint carnalium corda, statim ut psalmi dulcedo insonnerit, ad affectum pietatis animum eorum commouit. Et paulo post: « Nescio quo pacto modulatione canentis major nascitur compunctio cordis; multi enim reperiantur qui, cantus suavitate commoti, crimina plangunt, atque ex parte magis flectuntur ad lacrymas ex qua psallentis insonnerit dulcedo suavissima. »

6. ET INSILLET IN TE SPIRITUS DOMINI, ET PROPHE-
TABIS CUM IIS, — hoc est afflatus Dei spiritu et quasi entusiasmo actus hymnos dicabitis et canes Deo: « Hoc verbo (insillet) tanquam ex alio divinitatis secreto repentinus significat afflatus, » ait S. Augustinus, lib. II *ad Simplicianum*, *Quaest.* II.

ET MUTABERIS IN VIRUM ALIUM, — majorem a Deo infusam accipies sapientiam et magnanimitatem, ex rusticano agasone fies civilis, politicus, regalis, qui indues animum liberalem et regium. Fies ex rudi sapiens, ex duro mitis, ex agresti urbanus, ex privato regius. Addit Nazianzenus dubitandum non esse quin Saul per inhabitantem Spiritum Sanctum fuerit in spirituales virum commutatus.

7. QUANDO ERGO REVERENT SIGNA HEC OMNIA TIBI, PACI QUAEQUE INVENIRIT MANES TUA. — Quasi dicit: Ex hisce signis intellige certissimo te esse regem a Deo electum, et facultatem regiam adeptum cum opes tibi assistente, ut possis periculis quae velis, quaecumque in regimine agenda tibi occurrerit. Regaliter ergo age et pugna intrepide pro populo Dei et tuo.

QUIA DOMINUS TECUM EST, — tanquam tuus director et gubernator. Ita Angelomus, Abulensis et alii. Audi S. Hieronymum in *Quaest.*: « His signis noscere poteris, quia Deus te regem fore voluit: et idcirco ad omnia quae tibi agenda sunt, regaliter age, quia Dominus tecum est. » Et Chaldaeus, *quando venient haec signa tibi, parato tibi vasa instrumenta regni, quia dictum (verbum) Domini te audivit tuo*. Lyranus, dispone, inquit, te quantum poteris ad deceter et poterit regnandum.

8. ET DESCENDES ANTE ME IN GALGALA. — Videtur Samuel vel rumore populi, vel instinctu Dei pro-

cognovisse machinationes bellicas Naas regis Ammon contra Jabes Galad. Haec de causa praemittit Saulem in Galgala, quae vicina erat Jabes Galad, seque eo secuturum promittit, ut voluntatem Dei de hoc bello illi indicet; sed cum urgeret hostis Samuelem, expectare Sauli non licuit, ait Cajetanus et Lyranus.

Aliter Abulensis, qui generalem hic regulam dari Sauli a Samuele censet, ut quodcumque in periculis belli et hostium sit constitutus, se recipiat in Galgala, eoque se evocet, et expectet quasi de voluntate Dei ibidem sciscitaturum; idque inquit cap. xiii, 8. Sic quoque Angelomus et Mendoza: « Optime, inquit Serarius, jungere tur expositio Lyrani et Abulensis, ut et tunc temporis id factum sit, et postea semper de compacto fieri debuerit in difficultioribus negotiis, uti ex Josepho intelligitur, et infra cap. xxiii, vers. 8 et 18. »

Porro in Galgala jubet descendere Saulem, tum quia Galgala erat vicina Iordanis, ad eum contra hostes, ne per eum transirent in Judaeam, defendendum; tum quia Galgala erat locus dicitur orationis et sacrificio, ex quo Hebraei transeuntes Jordanem sicco pede, prima in Galgala posuissent castra, *Josue* iv, 20, tum ut hujus beneficii et transitus memorem redderet Saulem, eumque magis Deo obligaret.

UT OFFERAS OBLATIONEM ET IMMOLES VICTIMAS, — quasi dicat: Offeres victimas per sacerdotem immolandas. Nam eas per se Sauli immolare non licebat, quia ipse non erat sacerdos.

9. IMMUTAVIT EI DEUS COR ALIUD, — *g. d.* Deus cor Saulis, quod, si non esset privatus, erat pusillum, abjectum, agreste, servile; jam eo rege facti sunt magnanimum, sublime, amplum et regale, ut nullis periculis cederet, nullis hostibus metueret, nullum onus sibi difficile arbitrabatur. Sic S. Catharina Senensis petit a Christo aliud cor conforme cordi Christi et obtinuit. Ita Abulensis: « Mutavit, inquit, ei cor, quod antea erat parvum et servile, in cor regale. » Hugo Cardinalis: « Altius, inquit, et audacius cor habuit. » Carthusianus: « Dedit Sauli cor virtuosius et specialiter magnanimum. » Vatablus: « Inmisit illi mentem aliam, et cor regium sive regis spiritus. » Theodoretus: « Quoniam, inquit, erat rusticus solum sensus terram colere, cum ei manus imposuisset, dedit ei spiritum regium. » D. Gregorius: « Cor, inquit, immutatum habebat: quia qui asinas quaesierat, jam de regni dispositione cogitabat. »

Idem tamen Gregorius rursum in malam partem haec verba explicat: « Si, inquit, aliud cor tunc recepisse cognoscitur, coram propheta humilis fuit; sed ut cepit discedere, pariter et cepit superbiere: in mente sua jam non esse parvulum; sed regem se cogitabat: adhuc non erat sublimis ordinis, sed erat sublimis aestimatione. »

Proprie tamen hic mutavit Deus cor Saulis, quia fecit « prophetare, » id est Deo laudes canere, uti praecessit. Ita Tertullianus, lib. *De Anima*, cap. xi:

« Saulem, ait, tam Dei spiritus antea verit in alium virum, id est in prophetam, quam et malus spiritus postea evertit in alium virum, in apostatam scilicet. » Sic et alii Interpretes exponunt.

10. ET PROPHETAVIT IN MEDIO EORUM, — id est afflatus numine easdem laudes Deo cepit, quae ceteri Prophetae canebant. Modum explicat Auctor *De Mirabil. S. Script.* lib. I, cap. xi, agens de cantico Hebraeorum post transitum maris Rubri, *Exodi* xv: « Admiratione, ait, diximus miraculum, ut cuncti pariter senes cum pueris, et omnes aetates, eodem inspirati flamine, uno quasi ex ore, nulla praemonitione edocti, easdem continenter litteras decantarent in unum. Ubi non consuetudine humani ingenii, sed divino spiritu cantorum pectora et ora inspirantur, Dominus qui paulo ante in profundo coram eis apparuerat, ipse postmodum in tali cantico, eorum linguas et ingenia gubernabat. »

Addunt Hebraei apud S. Hieronymum Saulem vere prophetasse de futuro saeculo, de praemiis iustorum et poenis improborum.

11. NUM ET SAUL INTER PROPHETAS, — ex subita mutatione tanta Saulis haec vox adstantium eripit, quae versa est in proverbium simile illi quo dicimus: « Anser inter olores, asinus inter apes, corvus inter Musas. » Simili modo dixit tempore Christi de Saulo facto Paulo: « Numquid Saulus inter Apostolos? » Namquid ille Jesum praedicat, qui Jesum persqui solebat? ait S. Gregorius. Hoc proverbium quoque usurpes, cum promiscue quilibet sibi magnificam aliquam functionem solitis suis viribus majorem usurpat; ut hoc aeo nemo non tractat sacras litteras, de iisque disputat. Ita S. Gregorius Nazianzenus, *Apol. de fuga sua ad Pontum*: « Pro eo, inquit, quod deberent esse docies Dei, prophetant omnes, adeo ut et Saul sit inter Prophetas juxta praesam historiam et proverbium. » Aeneas Epictetus, cap. xx, can. 20: « Philosophari, inquit, desideras? para te ipsum, quasi irridendus sis, quasi te subsannari multi sint, quasi dicturi: de repente hic nobis philosophus evasit? et unde nobis hoc supercilium? »

Moraliter, discere hic quam utilis sit societas bonorum: haec enim aliis suam bonitatem affricat. En tibi Saul in societate Prophetarum, fit propheta et prophetat. Deus enim suum spiritum afflans Prophetis, etiam Sauli inter eos constituto eum afflabat.

Mystice S. Bernardus, serm. 2 *ad Fratres*, de *altitudine cordis*: « Magnum, inquit, prophetandi genus, cui vos deditis esse conspicio; magnum prophetium studium, cui vos conspicio mancipatos. Quo illud? Nempe juxta Apostolum non considerare quo videntur, sed quo non videntur sine dubio prophetare, est ambulare in spiritu; ex fide vivere, quae sursum sunt querere, non quo super terram; oblitisci quae retro sunt, et extendi in anteriora, ex magna parte prophetare est. »

12. ET QUIS PATER EORUM; — ita legunt Romana, v

quod primo aliqui sic explicant, quasi dicat: Mirum non est Saulem prophetae, quia Prophetae domum prophetiae non habent a parentibus, quasi ex traduce, sed a Deo: sicut ergo Deus illis idipsum gratis communicavit, sic et Sauli. Ita Lyranus, Hugo, Dionysius, Vatablus, Sanchez et alii.

Alii explicant nonnulli per auxesin, quasi dicat: Quomodo Saul subito factus est propheta? Imo pater eorum, scilicet et ceterorum Prophetarum? illis enim Saul canendo eminet, quasi pater, id est magister discipulis. Quomodo tam subito factus est Prophetarum magister, qui paulo ante necdum eorum erat discipulus? Ita Hebraei apud S. Hieronymum in *Quest.*

Porro Septuaginta legunt: *Et quis pater ejus?* quasi dicat: Nonne Cis est pater Saulis? Cis autem est homo amicus; quomodo ergo filius ejus Saul illico tam canorus evasit musicus? Quis eum docuit adeo melodie canere? utique non pater Cis, nec quis alius praeter Deum. Verum legendum cum Hebraea, Chaldaea et Romana, *et quis pater eorum?*

13. ET VENIT AD EXCELSUM. — scilicet collem unde Prophetae descenderunt vers. 3; in excelso enim erat locus orationis et sacrificii. Eo ergo ascendit Saul antequam ad suos rediret, ut animum colligeret, et Deo pro tot donis sibi collatis gratias ageret, ait Abulensis, Hugo et Dionysius. Mystice S. Gregorius: « Ad excelsum, inquit, post prophetiae ministerium venit, qui ad caelestia gaudia, quae praedicat, mentem erigit, et ad ea amando, se sublevat, quae loquendo monstrat. Doctores quidem cum minoribus plana praedicant, quasi in plano sunt: et quia post verba praedicationis ad promerenda ea quae praedicant, se bonis operibus preparant, ad excelsum venire perhibentur. »

14. DIXITQUE PATRUS SAUL. — Patrus hic Saulis fuit Ner pater Abner principis militiae Saulis, inquit Beda, Hugo, Abulensis, Dionysius et alii. Nec ergo fuit pater Cis patris Saulis.

16. DE SERMONE AUTEM REGNI NON INDICAVIT EI. — Cur tam altum de regno suo Saul tenuit silentium? Respondet Lyranus: « ut evitaret iactantiam, et humilitatem servaret. » Vatablus: « Hoc tribuitur, inquit, modestiae Saulis. » Abulensis: « Erubuit, inquit, de se hoc dicere, ne videretur iactare, si hoc crederet esse verum. » Addit Arthusianus: « Quo exemplo, inquit, quorumdam iactantia, vanitas, insipientia arguuntur, qui sibi honorum celare, et praesertim, si quid gloriae a honoris eis exhibitum fuerit: aut exhibendum, silere non valent, et propriam pandunt stoliditatem. » Porro S. Gregorius: « Verbum, inquit, non indicat, qui magnitudinem sanctitatis per vanam gloriam non revelat. Nam qui magna dignitate, magnaque sanctitate radiat, multa vivendo ostendit, quae loquendo non dicit. »

Secunda causa fuit, ne secretum propalaret: ita Lyranus. « Nam Samuel, ait, unxerat eum se-

creto, propter quod puerum Saulis fecit praere, ne audiret verba ejus, ut supra dictum est: et ideo voluit tenere secretum; et debuit quousque Samuel negotium publicaret. » Regi enim ad regia negotia summe opus est secreto.

Tertia, ne patri invidiam sibi concitaret, uti concitavit Joseph narrans somnium fratribus de suo principatu: ita Josephus, lib. VI *Antiq.* cap. IV, Hugo, Abulensis et alii.

17. ET CONVOCAVIT SAMUEL POPULUM AD DOMINUM IN MASPIA. — non quod in Maspia esset arca Domini, ut vult Lyranus, sed ad Dominum, id est ad comitia Domini, ad conventum et Ecclesiam Domini, ad Synagogam Domini; ubi enim est Ecclesia Dei, ibi est praesens ipse Deus. Rursum ad Dominum, id est ad Domini sortes et iudicium; quo scilicet Dominus publice erat designaturus regem Israelis a se electum: ita Cajetanus. Vide dicta de Maspia, cap. VII, vers. 5, et *Judic.* XX, 1. Noluit enim Deus suspectum populo esse Samuellem, quasi humano non divino iudicio rem tantam peregrisset.

18. EGO EDDKI ISRAEL, etc. — Vere S. Bernardus, serm. *De septem misericordiis*, de seipso fatur: « Sic, inquit, onerat me miserationibus suis Deus, sic obruit beneficiis, ut non aliquid sentire non possim. »

19. NUNC ERGO STATE CORAM DOMINO. — « Religiosus, inquit Cajetanus, sortium usus significatur, per stare coram summo Deo: ut non ex casu, sed ex divina providentia expectarent effectum sortis, elevatis mentibus in Deum et devote commendando causam Deo. »

20. ET APPLICUIT (hebraice *צָרַף* *zafef*), id est, appropinquare vel accedere fecit OMNES TRIBUS ISRAEL. — ad sortem, hoc est: dedit vel ieiit sortem duodecim tribubus, ut per eam videret quam ex illis Deus eligeret, ut ex ea regem designaret. Applicuit eas Samuel, ait Abulensis, ponendo sortes pro illis, vel Deum interrogando pro singulis. Quales fuerint hae sortes nescimus, quia eas Scriptura non explicat.

Nota: Samuel jam ante ex Dei jussu Saulem unxerat in regem, sed secreto; nunc ut eundem a Deo electum toti populo ostendat, sortem ieiit instinctum Dei, qui Samueli suggestit se ita sortes has directurum, ut non in alium quam in Saulem caderent. Prudenti consilio id fecit Deus ne quis a Samuele non a Deo electum Saulem ob privam amicitiam, spes et commodam arbitraretur; aut se vel alios e Juda, vel aliis nobilitatibus tribubus, ait Lyranus, regno digniores esse iudicaret. Sors hae fuit divinatoria, sed a Deo suggesta ideoque licita. Vide quae de sorte triplici partim licita, partim illicita, dixi *Acto* I, et *Jona* I.

21. ET CECIDIT COGNATIO METEI. — Inter filios Benjamin qui exacte numerantur libro I *Paral.* cap. VIII, vers. 4 et seq., nominatur Metri. Quare Hebraei, Lyranus, Abulensis, Hugo, Dionysius et alii censent aliquem ex posteris Benjamin, qui

nominantur I *Paral.* VIII, cognominatum fuisse Metri, id est *jaculatorum*, quod in arte sagittandi, scopum scilicet confingendi excelleret; in hac enim emittisse Benjaminitas patet, *Judic.* XX, 16.

22. ET CONSULEBANT POST HEC DOMINUM, — per Pontificem indutum Rationali, in quo erant Urin et Tummim, ait dicit *Erod.* XXVIII, 30.

ECCE ABSCONDITUS EST DOMI, — in vasis quibusdam, ut habent Hebraea et Graeca, puta in populi, qui convenerat, sarcinis, ait Vatablus, vel in latebram aliquam fugerat, ut ait Josephus, idque ex humilitate qua se regno indignum iudicabat, et omni regendi formidabat, ait Lyranus, Hugo, Abulensis, et Cajetanus. Vide hic quomodo honor sequitur fugientes, sequentes fugit, uti secutus est Saulem.

23. ALTIOR FUIT UNIVERSO POPULO AB HUMERO ET BURSUM, — ut sicut corpore, sic et mente, virtute et dignitate regia subditus omnibus emerit. Fuit ergo Saul procerus, et quasi gigas. Sic Anchises, *Aeneid.* VIII, ait Virgilius: « a cunctis altior ibat, » et Turnus, lib. VII, a toto vertice supra est. » Sic procerus fuit Salomon, *Cant.* v, 13, Carolus Magnus, Julius Caesar, Romulus. Suum Trajanum laudat Plinius in *Panegyrico*: « Quod non humeris hominum, ut alii superbi Imperatores, veheretur; sed sola corporis proceritate elatior et excelsior, non de patientia civium, sed de superbia Principum triumphasset. »

Audi Theodoretum: « Ideo Deus elegit omnium maximum, quia Hebraei non animi virtutem, sed corporis magnitudinem mirabantur. »

Tropologie S. Gregorius: « Rex, inquit, praecellit collo, praecellit et capite. Quid enim in collo, nisi locutio? quid in capite, nisi mentis contemplatio designatur? Capite ergo et collo subditorum omnium capita excellit, si contemplationis altitudine mirabilis est, et sublimitate doctrinae. » Et paulo inferius: « Emineat, inquit, rex collo, emineat capite, sit humero sublimis, ut conversatione perfectus sit, eloquio mirabilis, praeter arduus in arce contemplationis. »

Allegorice Saul fuit typus Christi, idque ob tres analogias quas recenset Beda, lib. II in *Samuel* cap. III: « Primo, inquit, quia Saul de tribu Benjamin, id est, filii dexterae, descendit: ita Christi Domini familia, quae ab eo pascitur ac regitur, tota dextera est; nam ejus charitas in eis solum, qui ad dexteram regni partem pertinent, perfecte generatur. Secundo, quia Saul altior fuit universo populo, seu eminebat super omnem populum; ita Christus Dominus suae sanctitatis et potestatis gloria cunctos facile superabat. Quis enim similis erit Deo, inter filios Dei? » Et iterum: « Qui de caelo venit, super omnes est. Tertio, quia Saul in regem unguendus absconditus est domi; ita et Christus Dominus, cum venturi essent ut raperent eum et constituerent sibi regem, fugit. » Nec sine mysterio Saul domi absconditur: « Quia Christus Dominus, inquit Beda, intus se queri debere, in-

tus inveniri posse, intus se queri docet; intus, quo ducit, ostendit. »

25. LOCUTUS EST AUTEM S. MUEL LEGEM REGNI, — id est praescripsit leges servatae (das tam regi curia populum, quam populo curia regi, quid scilicet rex populo, ac vicissim quid populus regi prestare deberet. Hinc liquet jus regis a Samuele recensium cap. VIII, vers. 11, non esse legitimum, sed inique usurpatum.

26. ET EXPOSIT CORAM DOMINO, — puta coram arca Domini. Hic ergo Samuel publice coram toto populo Saulem ex Dei jussu pronuntiavit regem, ideoque publice rursus eum unxit, et diademate ceterisque regis insignibus decoravit. Ita Abulensis, et sat colligitur ex innovatione regni quae facta dicitur cap. seq. vers. 14.

SED ET SAUL ABIT IN DOMUM SUAM IN GABAA. — Mystice S. Gregorius: « Domus, inquit, regis in Gabaa sita perhibetur. Gabaa quippe sublimis dicitur. Domus ergo regis in Gabaa esse ostenditur, quia electus Doctor non ima et terrena cogitando incolere, sed alta et caelestia meditari studet. »

27. FILII VERO BELIAL (homines indomiti, superbi, protervi, inobedientes, rebelles) DIXERUNT: NEM SALVARE NOS POTERIT ISTE? — « Iste, » scilicet vili, plebeus, ignobilis, incognitus, inexpertus; quid faciet hic longolius? quid praestabit turris hae carnae? « Non est in tanto corpore mica salis. » Ad quid tantum gigantem supercilium, nisi ut capita nostra despiciant, eaque suis brachiis premat et tundat? Hic erit noster Cacus, de quo Ovidius:

Dura viro facies, vires pro corpore, corpus Grande: pater monstri Mulcher hujus erat.

ILLE VERO DISSIMULABAT SE AUDIRE. — Hebraice, *obsurdesebat*, gerebat se quasi surdum: « Noluit enim, ait Dionysius, regnum suum a turbatione, lite et sanguine inchoare. Si enim ostendisset se verba illa audire, nec vindicasset, pusillanimitas videretur; si vero uldisceret, ferocitati et arrogantiae adscriptum fuisset. » Ergo recte dissimulavit, finxitque se non audire, juxta illud *Eccles.* XXXII, 12: « In multis esto quasi inscius. » Sapienter S. Isidorus, lib. III *Sent.* cap. I: « Plerumque, ait, princeps justus etiam malorum errores dissimulare novit, non quod iniquitatis eorum consentiat; sed quod aptum tempus correctionis expectet, quando eorum vicia vel emendare valeat, vel punire. » Et Seneca, lib. I *De Clementia*: « Regibus, ait, certior est ex mansuetudine securitas, quia frequens vindicta paucorum odium reprimat, omnium irritat. » Et paulo inferius: « Clementia ergo non tantum honestiores; sed tutiores praestat; ornamentumque imperiorum est, simul certissima salus. » S. Bernardus, *ad Eugenium Pontificem*: « Paucos, ait, castigos; multa dissimiles. » Theodosii Imperatoris in injuriis clementiam ita dilaudat S. Ambrosius, *epist.* 47: « Artiochenis, inquit, jam donasti injuriam; inimici tui filias

Sapientia multa dissimulat.

Saul triplis.

revoanti, nutriendas apud affinem dedisti; matri hostis tui missi de erario tuo sumptus.» Et Augustinus, lib. V *De Civitate*, cap. xxvi: « Inimicorum suorum, ait, filios, quos non ipsius jussus, sed belli abstulerat impetus, Christiana charitate dilexit; nec privavit rebus, sed auxit honoribus.»

Causam dat S. Ambrosius, *serm.* 20: « Quo enim quis fuerit ad injuriam patientior, eo potentior constituitur in regno.» Sapienter S. Ambrosius, lib. II *De serpente Job*, cap. III: « Tacere, inquit, debet, qui recognoscit objectum, ne vulnus exasperet et scindatur cicatrix, tacere, et qui non recognoscit; audit enim alterius, non suum crimen; quod si referat, sum facit; si tacet, retorquet, et conviciantem vulnerat.»

Sapientius Tertullianus, lib. *De Patientia*, cap. viii, docet claudendas esse aures ne injurias audiant: « Si parum, inquit, equanimitè audiam dictum aliquod in me proferum aut nequam, reddam et ipse amaritudinis vicem necesse est; aut erue labor impatientia muta. At qui hujusmodi

dictis aures obstruxerit, ab utroque incommode eripietur; neque loquens maledicet, neque tacens affligitur. Ita David suas aures obstruebat. Ego autem, inquit, sicut surdus non audiebam, et sicut mutus non aperiens os suum; et factus sum sicut homo non audiens, et non habens in ore suo redargutiones.»

Fructum hujus patientiæ subjicit Tertullianus: « Omnis, inquit, injuria seu lingua, seu manu incussa, cum patientiam offenderit, eodem ictu dispungitur, quo telum aliquod in petra constantissimæ duritiæ libratum et obtusum. Concidit enim ibidem irrita opera et infructuosa, et nunquam repercussum in eum qui emisit reciproco impetu sæviet. Nempe ideo qui te lædit, ut doleas; qui fructus lædentis, in dolore læsi est. Ergo cum fructum ejus everteris non dolens, ipse doleat necesse est amissione fructus sui.»

Regium ergo, imo divinum est, injurias contemnere, despiciere, indulgere, et beneficiis obruere.

CAPUT UNDECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Naas rex Ammon vult viris Jabes Galaad eruere oculos dextros. Audit id Saul, cogitque exercitum, quo eadit castra Naas ad interfectionem. Quare, vers. 12, Hebræi applaudunt, eique regnum confirmant in Galgala.

1. Et factum est quasi post mensem, ascendit Naas Ammonites, et pugnare cepit adversum Jabes Galaad. Dixeruntque omnes viri Jabes ad Naas: Habeto nos fœderatos, et serviemus tibi. 2. Et respondit ad eos Naas Ammonites: In hoc feriam vobiscum fœdus, ut erua omni-um vestrum oculos dextros, ponamque vos opprobrium in universo Israel. 3. Et dixerunt ad eum seniores Jabes: Concede nobis septem dies, ut mittamus nuntios ad universos terminos Israel; et si non fuerit qui defendat nos, egrediemur ad te. 4. Venerunt ergo nuntii in Gabaa Saulis, et locuti sunt verba hæc, audiente populo; et levavit omnis populus vocem suam, et flevit. 5. Et ecce Saul veniebat sequens boves de agro, et ait: Quid habet populus quod plorat? Et narraverunt ei verba virorum Jabes. 6. Et insiluit Spiritus Domini in Saul, cum audisset verba hæc, et iratus est furor ejus nimis. 7. Et assumens utrumque bovem, concidit in frusta, misitque in omnes terminos Israel per manum nuntiorum dicens: Qui-cumque non exierit, et secutus fuerit Saul et Samuel, sic fiet bobus ejus. Invasit ergo timor Domini populum, et egressi sunt quasi vir unus. 8. Et recensuit eos in Bezech: fueruntque filiorum Israel trecenta millia; virorum autem Juda triginta millia. 9. Et dixerunt nuntii qui venerant: Sic dicetis viris qui sunt in Jabes Galaad: Cras erit vobis salus, cum incaluerit sol. Venerunt ergo nuntii, et annuntiaverunt viris Jabes: qui lætati sunt. 10. Et dixerunt: Mane exhibimus ad vos, et facietis nobis omne quod placuerit vobis. 11. Et factum est, cum dies crastinus venisset, constituit Saul populum in tres partes, et ingressus est media castra in vigilia matutina, et percussit Ammon usque dum incalerescit dies; reliqui autem dispersi sunt, ita ut non relinquenterentur in eis duo pariter. 12. Et ait populus ad Samuelem: Quis est iste qui dixit: Saul num regnabit super nos? Date viros, et interficiemus eos. 13. Et

ait Saul: Non occidetur quisquam in die hac, quia hodie fecit Dominus salutem in Israel. 14. Dixit autem Samuel ad populum: Venite et eamus in Galgala, et innovemus ibi regnum. 15. Et perrexit omnis populus in Galgala, et fecerunt ibi regem Saul coram Domino in Galgala, et immolaverunt ibi victimas pacificas coram Domino. Et lætatus est ibi Saul, et cuncti viri Israel nimis.

1. HABETO NOS FœDERATOS, — *q. d.* Pange vobiscum fœdus, ut vertunt Septuaginta. Chaldaeus vero, *Jecorne nobis pactum, et serviemus tibi*; quasi dicit: Subditi et servi tui erimus, sed fœderati, non bello victi et manu capti, quasi mancipia.

2. IN HOC FERIAM VOBISCUM FœDUS, UT ERUAM OMNIUM VESTRUM OCULOS DEXTROS, — tum ad ignominiam et opprobrium, ut sequitur; tum ut vos seniores et bello inutiles reddam: « Milites enim oculum sinistram scuto tegunt, dextro vero in pugna rem gerunt.» Ita Abulensis. Audi Josephum, lib. VI *Antiq.* cap. v: « Ille (Naas) Judæis ultra Jordanem habitantibus infestus, cum magno et forti exercitu regionem ingressus, urbes earum subjugare cepit; nec contentus libertatem in præsens abstulisse, ut omnem rebellandi materiam in futurum adimeret, tam ultro deditis, quam vi subactis, dextrum oculum eruebat; ut quotiens scutum sinistro prospectum negat, omnino inutiles bello fierent.»

Tertium causam addit Dionysius, scilicet voluisse Naas hæc excoelatione Jabesitarum, terrorem sui omnibus Hebræis incutere, ne quis deinceps similibus supplicii metu, sibi rebellare aude-ret.

Tropologice Naas hebraice idem est quod serpens, puta diabolus, « qui dextros oculos suorum eruit, quando abstinentibus a se devictis, sic per gulam prevalet, ut carnalia sola cupiant, et spiritalia, que amare solent, non attendant, » ait S. Gregorius, Beda et Angelomus; spiritalia enim sunt dextra, id est potiora et meliora; ideoque dextro et meliori oculo intuenda: carnalia vero sunt sinistra, id est viliora; ideoque sinistro et viliori oculo obiter aspicienda. Dextro ergo suspicimus oculum et celestia; sinistro despiciamus terram et terrestria.

Audi S. Nilum in *Ascetico*: « Naas Ammonites, qui serpentem significat, Israeli perspicaci omnem oculum dextrum effossum se inaniat, ut nulla dextera cogitatio ad ullam dexteram actionem dirigitur; eos enim qui a contemplatione ad actionem se conferunt, valde proficere non ignorat; nam illi in actionibus suis sine reprehensione egerunt, qui mentis oculis acutissimis, quid agendum sit, antea meditati sunt.»

3. CONCEDE NOS SEPTEM DIES, — ad petendum a cæteris Hebræis consilium et auxilium. Concessit eis hoc Naas superbus non ex pietate, sed ex amicitia, ait Dionysius, estimans neminem ausurum eis succurrere, vel sibi in prelium occurrere. Palabat enim tam paucis diebus tantum exercitum, qui suo par foret, cogi non posse.

4. VENERUNT ERGO NUNTII IN GABAA SAULIS. — Gabaa enim erat patria Saulis, ideoque in ea rex factus residebat.

3. ET ECCE SAUL VENIEBAT SEQUENS BOVES DE AGRO. — « Veniebat, ait Hugo, sequens boves de agro; non ut custos bovum, quia hoc esset inconveniens, ut rex esset bubulcus; sed casu accidit, ut cum rediret Saul de agro, boves præcederent eum in via.» Sic et Lyranus et Dionysius.

Verum hic sensus contortus videtur et violentus; sequi enim boves de agro, est aratorum boves ab aratro redeuntium ad stabulum. Fuit ergo Saul arator, ait Abulensis, et licet jam foret rex creatus, ad solitam tamen agriculturam, cum alia regni negotia non occurrerent, rediit. Sic et David, postquam a Samuele unctus esset in regem, rediit ad pasendum suas oves. Unde vers. 7, utrumque hunc bovem sum, quo arabat Saul, concidit in frusta. Erant ergo hi proprii ejus boves, non alieni. Ita Abulensis, Cajetanus, Sanchez, Mendoza et alii. Causam dat S. Gregorius, lib. XIX *Moral.* cap. xvii, quia « perit omne quod agitur, nisi sollicite in humilitate custodiatur.» Et hoc, ait Hugo Cardinalis, est contra Religiosos, qui quando fiunt Episcopi, dimittunt regulam suam. Vide et mirare hic simplicitatem et modestiam primorum regum, Saulis et Davidis, ac agriculturæ dignitatem et præstantiam; utpote quam olim reges et principes exarcerint. Sic Romulus, Remus, Curius, Fabricius, primique romani Senatores et Principes erant aratores et agricolæ. Audi Propertium, lib. IV:

Curia, prætexio que nunc nitet alta senatu,
Pellicos habuit, rustica corda, Patres.
Buccina cogebat priscae ad verba Quiritis.
Centum illi in prato sæpe Senatus erat.

Plinius, lib. XVIII *Hist.* cap. III: « Ipsorum, inquit, manibus Imperatorum colebantur agri; gaudente terra vomere laureato, et triumphali aratore.» Valerius Maximus, lib. IV, cap. IV: « Illi, inquit, prædivites, qui ab aratro accersebantur, ut consules fierent, voluptatis causa solum versabant; imo quos pericula Reipublice imperatores accersebant, angustie rei familiaris, bubulcos fieri cogebant.» Causam dat S. Chrysostomus, hom. 15 in II *ad Corinth.* Quod Deus primis parentibus agriculturam ut necessariam, artemque innocentissimam et præstantissimam indixerit, juxta illud *Gen.* cap. II, vers. 15: « Posuit eum in paradiso voluptatis, ut operaretur et custodiret illum.» Et mox a diluvio cepit « Nos viri agricola exarere terram, et plantavit vineam, » *Gen.* II, 9.